



**Eryci[i] Pvteani Pietatis Thavmata In Bernardi Bavhvsii[i]  
è Societate Iesv Protevm Parthenivm**

**Puteanus, Erycius**

**Antverpiæ, 1617**

Λ. Pictura Protei, item Virginis. Ars nisi pia, hîc imperfecta; colores nisi cælestes, fugitivi. Quercus Mariana, quæ apud Ciceronem, piè explicata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70659)

templis, & tot ora quot templa inuenies. vnam in templis omnibus Virginem; vnum vbique versum & alium. Toties in templis omnibus arisque legatur, versus quoties mutari potest, & adhuc impar Dotibus Proteus iacebit.

## T H A V M A Λ.

*Pictura Protei, item Virginis. Ars nisi pia, hic imperfecta; colores nisi caelestes, fugitini. Quercus Mariana, quae apud Ciceronem, pie explicata.*

SCRIBI, aut excudi Proteum, fatis non est; Spingi debet: nec legi satis, cerni debet. Quod pia stili felicitas exsecuta est, penicillus imitetur: carmen colores exprimant. An minùs Pictoris, quàm Poëtæ ingenio Virgo colenda est? Posse pingi Proteum, Poëta ostendit; Versu complexus est: imò non posse; Miraculum dedit. Etenim si arduum olim Iano geminum, aut quadrigeminum vultum dare: quis mille & tot ora in vno Proteo effinget? Adeste obsoletæ iam artis & famæ lumina, tu Zeuxi, tu Parrhasi, tu Apelles: adeste, & Miracula vos faciam. Hoc agite; Versum adumbrate, in quo mille Versus sint; Proteum pingite, qui tot ora gerat. Iterùm, hoc agite; & felici manu audax Homeri ingenium vincetis. Denique, hoc agite; & quantum virginea hîc Vatis Pietas præstitit, facietis. Quin potius



potiùs faceſſite profani artifices: non nouiſtis Venerem, quæ Virgo ſit; nec Amorem, qui faucios ad cælum animos extollat. Terram, & quæ huc ſpectant, pictura veſtra habet: nobis cum Aſtris negotium eſt; aut certè in terrâ imaginem quærimus, quæ Aſtra adæquet. Nouos aliòſque det Pietas Zeuxes, Parrhaſios, Apelles; capiet tabula Proteum, qui cælum cepit: ibit in colores, qui ſcriptus eſt. Eia, Virgo pingi potuit; quidni imago Virginis? hic Proteus eſt. & pinxit Virginem, qui deſcripſit olim, D. Lucas; qui ſacrum inſpexit vultum, & veneratus eſt. Pinxit, inquam, & felici arte omnium deinceps induſtriam prouocauit. Vos reſpicio & alloquor, viuentia adhuc lumina, magna Patriæ decora, & iam Zeuxi, Parrhaſio, Apelle meliores: te erudite VAENI, te ingenioſe COBERGI, te erudite & ingenioſe RVBENI; qui templa paſſim non tam ornatis tabulis, quàm animatis; qui verè oſtenditis animorum eſſe picturam: vt maximi ſitis, huc transferte operam, Proteum nobis carmine delineatum, colore exprimit: cælum in terrâ, ſtellas in tabulâ. Date Proteum, qui mille ora gerat, ac Dotes adumbret Virginis. Date picturam, quæ loquatur. Poſteſtis: nihil arti, ingenio, induſtriæ veſtræ arduum eſt; & hæc Virgini debetis: nihil Pietati; hæc omnia perficit. An nescitis, in ſacrâ Quercu cultam eſſe Virginem? Quercum pingite, in ramos diducite,



ducite, folia inspergite, quæ numero stellas referant; quæ inscripta versu singula, versum & librum constituent; quæ comâ & coronâ Virginis Dotes, quantum licet, repræsentent. Hæc Quercus Proteus erit: imò hic Proteus Quercus erit; & sic quia verè MARIANA, vt cum Cicero-  
 ne dicam, Lib. 1.  
De Leg.

*Canescet sacris innumerabilibus.*

## T H A V M A M.

*Non nisi à Virgine Proteum esse, facilitate pulchrum.  
 Porphyrij Panegyricus mirus, sed miser: Bauhusij  
 Proteus pius, & felix. Vtriusque ingenium consi-  
 liumque expensum.*

**H**OC mirum: nihil Proteo difficilius, & nihil tamen facilius est. Qui tam ægrè describitur, tam morosè pingitur, profusus est. Ludere Auctor potuit, vbi typi crucientur, pictura laboret. Et quis Vatum igitur feliciori impetu surrexit? quis versu vno immensum absoluit opus? Cælo descendit: ingenio Vatis sui Virgo vsa est. Hæc dictauit, ille scripsit; hæc suggessit, ille fudit: nouum Vatem, noua Musa ostendere sæculo doctissimo voluit, qui carmine clarus, Pietate æternus esset, sed facilitate labores omnium vinceret. Momento temporis librum scriptum esse nulla ætas vidit: hoc nouum, hoc mi-

M rum